Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38166
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

ut diximus. ad superna referendus est. ubi re uera recte
intellegens tendit mentis intuitum;
Misericordias domini in aeternum cantabo; Robustus
dicitur quieta firma dicturus est; & hanc istae
quae diximus indicare robustum. in hoc psal
mo locutus est; iste enim & hanc domini est mi
sericordias cantaturus. qui aeterna stabilitate consistunt.
& perpetui sunt celebrande praeconiis; fecit enim mirabilem
in humano generi pietatem; In generatione & generatio
nem; hic significat populum iudaicum & gentium; Adnuntia
bo ueritatem tuam in ore meo; quod tamen ex ore progreditur cito
dilabitur. quod uero in ore uersatur. diuina deuotione cele
bratur; Quoniam dixisti in aeternum misericordia aedificabitur. Ista
est ueritas quam uir sanctus praedixerat se nuntiaturum; & me
rito illam confidenter praedicabat. quando eam dominus absolute
promiserat; In caelis praeparabitur ueritas tua in eis; caeli
significant apostolos. quorum praedicationibus actum est. ut incul
caretur gentibus religio christiana; Disposui testamentum
electis meis; nunc uerba domini refert quae superius eum dix
isse memorauit; Namque ius omnibus denuntiasse uideatur.
electis tamen suis tantum ista disposuit; Iuraui dauid
seruo meo; diuinum sacramentum promissionis securitas est;
quia solus potest implere quod promittit; Iurare autem dici
mus iure iurauit idest iuste locutus est; Usque in aeternum
praeparabo semen tuum; hoc ad humanitatem eius pertinet;
Praeparatus est enim christus qui ex semine dauid descenderat
carnis origine usque in aeternum. rex regum & dominus domi
nantium; & aedificabo in generatione & generatione